



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Carpvvs Ep. 26. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

& incenatus egit. Hunc tamen tam vicinum celo avocare, ad nescio quos Pharaonis thesauros demon institit. Sed ille Nilum calcare solitus, & clausis foribus, quoquo libuisset, penetrare, viam denique etiam ad Cælites reperit, violentus scilicet homo, atque uti olim ædibus ita celo quoque vim facturus, nisi spontè patuisset. *Ex vit. PP.*

S. CARPVS EP. 26. *Maii.*

Non est cordi Deo rigida pietas, & iustitia misericordiæ oleo non temperata. Id CARPVS te docebit, qui à Paulo Apostolo Christianâ Philosophiâ imbutus, hujus tam præclari & necessarij axiomatis aliquândo visus est obliuisci. Compererat Christianæ militiæ tironem, ad deserenda crucis signa, à demonis cultore esse inductum, quâ injuriâ ad Deum Opt. Max. pertinente, ita est exacerbatus, ut impia ex æquo capita Orco devoverit, quod mediocri supplicio nullo vindicari posse scelus manifestarium, & ultimæ perfidiæ persuasum haberet; & verò gestiebat animo, cum dehiscente sub utriusque pedibus terrâ, inferni ignis fumum ferri in ora, ipsosque stantes in præcipitio similes ruituris aspiceret, impulsurus etiam, si copia fuisset. Subinde etiam aperiri calum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, hor-

tarique CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos precipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudisset. Sibi quidem tanto pretio assertos in libertatem, certum esse non deserere, & porrigere manum velle perituris: quin adeo, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriarum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem absterferunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & incōsulta odia defervescerent, si in sanguine Christi intingerentur. *Ex Dion. Areop. In Patrie.*

S. RESTITVTA V. M. 27. Maii.

ROMÆ nata RESTITVTA, denata Soræ nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & forinam, quâ passim iuventus nobilis deperibat, velut ignem custodiit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa unius thalamû suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugiebat. Intereâ invidit DEO sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITVTA nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo. Soram
abi-